

Ingeniosi/ acutissimi Sanctiq; viri Efrē
Edissene ecclesie diaconi: De compunctioe
cordis: Liber primus incipit.

Caplm. I. Premittens planctum aucto-
ris pro anime sue/ institutionisq; patrū suoz
vulneribus: cum eiusdem institutionis descri-
ptione/ et accusatione/ atq; reprehensione vi-
te et institutionis sue: fratruq; suozum.

Dolor me com-
pellit dicere: et iniquitas mea cō-
minatur mihi vt sileam. Terro-
res me p̄loqui vehementer per-
vigent: et delicta mea silentiū me habere com-
pellunt. Quia ergo ab vtrisq; coartor: expe-
dit mihi vt enarrē magis dolorem cordis mei
vt quoddā refrigeriū capia. Anim⁹ meus lau-
diatus est: et oculi mei lachrymas cōcupiscūt.
Quis dabit capiti meo aquam: et oculis me-
is fontem lachrymarum: vt p̄ vulnerib⁹ ani-
me mee indefinenter diebus ac noctibus de-
sileam. Hec nō etiā institutionis nostre molli-
cies/ que temporib⁹ nostris efficitur: quō re-
pleta est vulneribus et ignorātia. Elatio siquē
dem eius: qualitatē vulnerū suozū considera-
re nō sinit. Nam institutio illa/ que fiebat in
diebus patrū nostrorū: qui in vniuersa terra
quasi quedā luminaria refulserunt: hec erat:
Cōuersabant quippe in ea quasi inter spinas
et tribulos/ hereticorū videlicet atq; impiorū
quasi p̄ciosi lapides ac splendide margarite.
Quozū conuersationem nimis castam ac so-
briam: ipsi inimici videntes/ imitatores eozū
fieri gestiebant. Quis em̄ humilitatē eozum
cernens: nō protin⁹ cōpungebat? Aut q̄s eo-
rum modestiam aut quietudinē intuens: nō
cōfestim amirando obstupuit? Quis amator
pecuniarū parsimoniā eozū ac nuditatem
aspiciens: nō totū mundū odio habuit ac de-
spexit? Quis fraudator aut arrogans/ sobri-
am eozū vitam attendens: nō ilico ad humi-
litem semetip̄m conuertit? Quis autē for-
nicator aut p̄phan⁹/ ad orationē eos cernēs
subsistere: nō statim castam ac pudicam secta-
tus est vitā? Quis vō iracundus ac furore re-
pletus: si eos attendit: nō oēm rancoris ama-
ritudinem cōmutauit. Hic em̄ positi certaue-
runt: nunc autē ibi constituti letant: quia de⁹
glorificatus ē in eis: et om̄es edificationē ani-
me inuenerūt. Nostra autē institutio rectas
deserens vias: per pręrupta et aspera incedit

itinerā. Nō est em̄ qui p̄pter deū a facultati-
bus suis abscedat. neq; em̄ est qui ob eternā
vitam semetip̄m subiciat. Nō est mitis neq;
humilis: nō est quietus nō est firmiter stabili-
tus: nec est qui iniuriā perpeffus sustineat.
Nō est cui male dicat: et sufferat. Igit̄ om̄es
sunt contradictores: om̄es furibundi/ et om̄-
nes pigritia torpentes: om̄es ad amaritudi-
nem prompti: et om̄es ad ornātū vestium faci-
les: om̄esq; inanis glorie cupidi: om̄es vani
ac timidi: et om̄es semetip̄os amātes. Etenim
qui venit institui: antequā instituat/ alios in-
stituere cupit: et docere anteq; discat. Prius
q̄ erudiat/ promulgare vult leges: et anteq;
discat ordines syllabarū philosophare incipit.
Priusq; subiciat: vult habere subiectos: et
anteq; maiorū iussis obtemperet: arripit iu-
bentis officium. Et anteq; instruat: instrue-
re cupit/ ac monere vsurpat. Si autē quis in
gradu p̄cesserit: cū auctoritate quadā insoler-
ter in moribus imperat. Si autē ex locuplete
paup fuerit: honores sibi cōfestim expetere
vsurpat. Si vero ex inope: de requie sciscita-
tur: si oparius fuit: digitos cōtinuo studet te-
neros ac delicatos habere. Quis est itaq;
qui nostrā institutionē nō desleat. Abrenūci-
antes siquēdem seculo: que terrena sunt sapi-
mus. Et quidem agricole cōtemperunt ter-
ram: et nos qui videmur spirituales esse: colli-
gati sumus in ea. Nescimus ad quid vocati
sumus. O fratres charissimi: vbi venimus?
Ad continentiam vocati sumus: et escaurē ex-
quisitarū industriam adhibemus. In nudita-
tem venimus: et de amictu vestimentozū con-
tendimus. In subiectionē vocati sumus: et im-
perantibus contradicimus. In modestiam et
quietem venim⁹: et om̄es quasi fere agrestes
efficimur.

La. II. Accusans duriciā cordis nostri/
tarditatēq; nostrā ad compunctionē/ cōuer-
sionem et penitentiā: cū exhortatiōe ad hmōi
agenda: et doctrina quō agi debeant exempla
patrum confirmans: et ad illorū imitationem
nos prouocans.

Egentes non
agnoscim⁹: et audientes nequaquā
in aures nostras percipimus. Si
aliquis conficiens iter/ homicidium p̄petra-
tum repente agnouerit: vultus eius ilico im-
mutat: et cor eius pauore concutit. Prophe-

tas et apostolos legimus interfectos: et risus perferimus. Et quid dico prophetas et apostolos? Ipse dominus/verbum patris/pependisse in ligno et propter peccata nostra pemptum esse audiuius et legimus: et elata ceruice contempnimus et ridemus. Sol non potuit ferre domini nostri contumeliam: sed claritatem sui luminis conuertit in tenebras/nos autem a tenebris malicie nostre conuerti nolumus. Caelum templi quod nihil deliquerat/a semetipso scissum est: nos autem propter peccata nostra/cor nostrum compungi non cupimus. Terra iugiter pertremiscens a facie domini sub pedibus nostris commouetur/ut nobis metu incurrat/et nec sic ob nostram duriciam formidamus. Urbes absorptae sunt/et loca ab ira domini desolata sunt. et nec sic trepidamus. Sol semel iterum meridianis horis super nos obscuratus est. et nec sic corde expauescimus. Bella persarum/ac diuersarum gentium barbararum commota sunt/et regiones nostre desolate sunt ut nos metuentes dei penitentiam ageremus cum indigeamus penitentia non dierum aut mensium/sed temporum plurimorum. et nec si quidem conuerti volumus. Penitentiam itaque agamus fratres/ut peccatorum nostrorum propitiato rem deum habere possimus. Deprecemur eum/quia exacerbauimus eum. Humiliemus nos ut nos exalteret. Plangamus/ut consoletur nos. Proiciamus a nobis consuetudinem malam/et quasi vestimentum/virtutem animi induamus/ maxime nos qui hanc conuersationem angelicam permeruimus. Etiam dilectissimi assumamus mensuram ac regulam bonam illam atque perfectam patrum nostrorum. Ne hodie ipsum aque potum accipias/et crastina vina percipias. Ne hodie discalcatus/et crastina diuersa calciameta requiras. Ne hodie cilicinam vestem/et crastina trilicem induaris. Ne hodie vilissimo habitu et crastina copositorum et ornatus incedas. Ne hodie mitis et humilis/crastina vero petulans ac superbus. Ne hodie quietus et obediens/crastina turbidus et contradictor existas. Ne hodie infletus et lamentatione/et crastina risus cum cachinno peccatiter proferas. Ne hodie super nudam humum quiescas/et crastina lectuli mollicie delecteris. Sed ad unam regulam charissime temetipsum astringe/propter quam possis deo placere/et tibi temetipsi/ac proximis tuis utilem te exhibere. Si autem mortificaueris temetipsum et solus es/noli discernere/si ab alijs tibi ministratum fuerit. Si autem cum multitudine fueris/audi dominum deum dicentem. Quodadmodum

vultis ut faciant vobis homines/et vos facite illis. Si vero necesse fuerit ut tibi propter mortificationem corporis ministret/attende ne primo tuo in aliquo inferas lesionem. Propter hoc enim perfecti patres fundantes semetipsos/in unam regulam consummati reperiuntur. Quicquid a principio arripuerunt usque ad finem vite nullis negocijs impediti integrum seruauerunt. Usque ad quinquagesimum siquidem et eo amplius annum exigentes/in nullo ceptam regulam mutauerunt. id est continentiam bonam atque irreprehensibilem/escaram abundantiam ac lingue intemperantiam cohibentes/sectantes autem humilitatem cordis/manluetudinem quoque et fidem/nec non charitatem/que perfecte ac spiritualis edificationis vinculum est. Super his autem omnibus paupertatem voluntariam/et ab omnibus negocijs terrenis quietudinem et vitam puradicam/ac sobriam/vigiliarum quoque et orationum instantiam/cum compunctione cordis et fletibus et non tantum risum/sed et subridere precauebant. Superbia autem ab eis omnino calcata est. Grenaecumque ac furores feruor frigit in eis. Aurum apud eos aut argentum pro minimo ducebant/et hominum omnium coragione semel emundati sunt. Idcirco et deus habitauit in eis/et in eis glorificatus est. Qui videbant eos et qui audiebant de eis/honorificabant deum. Idcirco unusquisque nisi se emundauerit ab omni re nequa et a sordidis quoque cogitationibus/corruptiscentiarum quoque malarum. nec non et a furore atque inuidia/superbia quoque ac vana gloria. odio et detractatione/contradictione. ac verbositate. et inordinatis actibus. que odit deus. auertat semetipsum ac procul faciat. nequaquam in eo habitat deus. Dicitur namque mihi. Si quis te in lutum ceni proiecerit. et ibi septem fecerit. libenter hoc feres. Si tu cum sis cinis et vermis si sustinere non potes. quomodo vis impolutum deum. qui cum sanctis et in sanctis requiescere solitus est. ut in te cum sis totus fetidus. et cenoso horrore repletus inhabitet.

Capitulum III. Exhortans nos ad mundificationem tam propter celestia bona nobis promissa. quam propter cauenda picula diuturni iudicii imminuisse supruentis. quemadmodum in diebus Noe contigit. timorem ex scripturarum completionem exaggerans.

Quideo fratres charissimi/mundemus nosmetipsos

fos/vt in nobis habitet/ et pmissa eius cele-
stia cōsequi mereamur: ne eius nomē sancto
quod inuocatū est sup nos/ inferam⁹ iniuriā-
nec ppter nos nomē dñi a pfidis blasphemet^r
Parcam⁹ nobismetipsis/ et intelligamus qd
in noīe eius/ nostrū quoq sonat nomē: eo q
ipse christus vocet: et nos nihilomin⁹ christia-
ni. **D**eus noster spūs est. **E**fficiamur ergo et
nos spūales/ vbi est em spūs dñi/ ibi libertas.
Festinemus ergo/ libertatis hui⁹ cōseq boni-
tatem. **C**ōsideremus qualis/ et quāte cōuer-
sationis nos dignos efficit. **A**gnoscam⁹ quia
nos ad nuptias inuitauit. **S**altē nosmetipos
diligam⁹: quēadmodū et ipse dilexit nos. **D**e-
sideremus eū: vt glorificet nos. **C**onsidere-
mus autē ne in die iudiciū vltionē duplicē exol-
uamus: cū recessisse quidē videamur a seculo
et ea que sunt seculi sapiam⁹: cōtemnētes qui-
dem pecunias: et iterū pro eisde sollicitudinē
gerentes: carnalia fugiētes: et eadem denuo
psequētes. **Q**uā vereor ne dies ille super nos
repentin⁹ insit: et subito nudi atq inanes.
nec nō et iam imparati vnusquisq semetipm
vitupare incipiat. **I**diipm nanq et in diebus
Hoc ppeffū sunt. **M**anducabant/ et bibebant
nubebant et nuptui tradebāt: et mercimoniū
insistebant: donec venit diluuiū et pdidit vni-
uersos. **A**dmirabile autē negociū erat fies.
Glidebant nāq quō cōueniebant in vnū iu-
menta campozū: elephantī quidē ab **I**ndia/
ac pside prius aduentabant: leones autē ac
pardī cum hoīb et hircis cōmixtis pariter/
et nihil seledentes inuicē cōcurrēbāt. **S**erpē-
tes et volucres pennate: insectantes neminē
confluebāt: et in circūitu arce diuina puiden-
tia morabant. **H**ec p singulos dies fieri pspici-
ebant. **I**psū quoq arce edificij pconem ad
eos vt penitentiā agerent in clamantē: in nul-
lo proflus curabant: neq cernētes tale mira-
culum/ cōuentū scz irrationabiliū iumentoz
compūcti sunt ad saluandū. **T**imeamus igit
charissimi neq et nobis hec pati contingat.
Scripture etem cōplete sunt: et nō ē qd relin-
quat: nisi aduersarij nostri aduentus horribi-
lis. **I**n expletione em rhomani regni necesse
est seculū cōsummari.

Ca. III. **P**ersuasue concludens vt vo-
lens saluari pperet et festinet: pu: chras ad h
inducens similitudinū compationes atq ra-
tiones: cum incussione timoris ppter carna-
les passionēs et vitia nostra: subiūgens tandē

doctrinā q cogitationēs cordis agnosci possit.

Qui ergo salua-
ri vult: pperet et festinet. **E**t qui
vult introire in regnū: ne velit in-
curiosus existere. **E**t qui vult liberari a gehē-
na ignis/ legitime colluctet^r: et q immortales
vermes effugere: vigilans debet esse ac sobri-
us. **Q**ui exaltari desiderat/ semetipm humi-
liet: et qui gaudere desiderat/ lamentet^r et lu-
geat. **Q**ui diligit introire in thalamū: relucē-
tem lampadem/ et oleū sibiumat in vasculū.
Qui expectat in illis nuptijs inuitari: splēdi-
da indumēta possideat. **C**iuitas regis nostri
exultatione et leticia plena est: imensitate de-
coris ac luminis radiat. dulcedine insatiabili
suauitateq redundat: vite quoq eternitate
exundat. **C**ōmorant^r in ea/ abunde hec oīa
largiter pfluūt. **Q**ui ergo cupit esse ciuis re-
gni: ad hec que memorauim⁹ festin⁹ occurrat.
Dies em cōcludit: et nemo nouit/ quid sibi i-
tinere hui⁹ vite cōtingat. **Q**uēadmodū em
si qd viator arripiens itineris sui longum in-
teruallū: discubens obdormiat vsq ad vespe-
rum: deinde expgefactus/ pspiciat qd iā clau-
ditur dies. cū ceperit pperare: repente effi-
antur nubes. grandines. tonitrua quoq et
fulgura/ ac pressure eū vndiq: cōturbatiōes:
q circūdent: ita vt neq ad mātionē valeat p-
uenire: neq ad locū illū/ seuiente tempestate
diuerrere. **S**ic et nos/ si i hoc tpe negligam⁹
huiuscemodi penitentiā/ sustinebimus vltio-
nem. **I**ncole em sumus in hac vita/ atq pere-
grini. festinemus ergo in patriā et ciuitatem
nrām/ locupletes ac diuites remeare. **R**e-
gociatores sum⁹ spirituales. querētes precio-
sissimā margaritā q ē christ⁹ saluator nr: glā-
ria et thesaur⁹: q a nullis latronib⁹ inuadi vlt
furatur. festinem⁹ q possidere eū. **B**rtūs nāq
ē/ etiāq brtūs: q festinauerit possidere eum.
Possidendo nāq eū/ gloriā pmeremur. **A**si
ferabilis autē ē/ q creatorē vniuersozū posside-
re neglexerit. **H**omō em hō sponit se in pñici-
em tradit: nolēs possideri ab eo. **N**unquid
ignozatis charissimi. q palmites sum⁹ ex vi-
te verissima/ q ē christus iesus. **G**lideat itaq
vnusquisq vrm: ne infructuosus existat. **P**a-
ter em vitatis: afferētes fructū vites studio-
se excolit: vt ampliorē pferāt fructū: q aut nō
ptulerit fructū: abscidet et extra vineā pñicie-
tur: vt ignis incendio cōcremat. **P**ropter qd

attendite vosmetipsos. ne infructuosi inueniamini. et excisi in escā ignis tradamini eterni. Semen optimū sumus. qđ christus passus familias. qui ē celi et terre conditor. seminauit. Ecce iam messis aduenit. et messores iam falces ad metendū pparatas in manibus tenet. Videte itaq; ne quis vřm zizania inueniat. et colligatus in manipulos. eterne flammę ardoribus cōflagret. Nondū intelligitis frēs. qđ terribile nob transiretandū est pelagus? Qui pfecti fuerint. et viri sapientes et negociatores iam paratū habentes questum merce monij. cū gaudio expectāt. qñ eis vent⁹ aspiet. et trāsiretantes hoc pelagus. ad portū vite eterne pueniūt. Ego autē et q mibi sunt similes. cū p diuersa huc illuc attrahimur et extollimur. nequaquā in corde nostro sollicitudinem gerimus. qđ necesse est nobis hūc transitū transire. Cū ptimeſco ne subito ventus aspiret. et inueniamur imparati. et tūc victos nos manibus mittant in tenebras exteriores. vt ibi dies negligentie nře atq; segnitie defleamus. cernētes quidē alios exultantes et letantes. nos vero in tribulationibus et laborib⁹ cōstitutos. Porus nanq; ille negociator est. et vnusquisq; in suo patrimonio exultat. et in suo mercimonio letat. Nescitis dilectissimi. qđ rex regū. ad filiū sui nuptias nos inuitat. Quid negligimus. et nō festinamus. hic nob indumēta splendida. et lāpades relucētes. et oleū in vasculis nostris assumere. Si autē qsq; vsurpauerit introire. vestē nō habens nuptialem. aduerte qđ hmoi patiat. Subente em̄ rege. alligabūt eū manib⁹ et pedib⁹. et mittēt in tenebras exteriores. ibi erit fletus et stridor dentium. Timeo em̄ charissimi ne carnales passionēs de thalamo illo nos eijciant. ne habitū solūmō extrinsecus ostendamus. et habētes carnales passiōes. intrinsecus langueamus. Exterior siquidē habit⁹ vbi mens nřa habitat. ostēdit. Ornatus qđ ppe vestīū indicat. qđ ea que terrena sunt sapimus. Per studium clarioris amict⁹ ab eterno claritate nudi esse dinoscimur. Escarum vero suauitas. gula nos eē subiectos cōmendat. et p amorem placendi nobis. inanis glorie cupidi eē dinoscimur. Accidia aut pigritia nos torpere demonstrat. cupiditas plim⁹ possidendi nequaquā nos desiderare christum ostēdit. Inuidia etiā nos iudicat vitiorū seruituti eē subiectos. Per linguā aut. qđ cor

desiderat. pdicat. Que em̄ cor desiderauit h meditāt et lingua. et sepe plabia dephendunt mētis occulta. eo qđ os nostrū pateat. nō habens ostiū nec custodē. et sermo noster indifferenter prorūpens egredit. Per sermones aut sepe cor nostrū inimicus latrocinat facilitate verborū. os em̄ cū nō seruat cū corde mysteria furant ab eo cogitationēs. et cū putauerit cor apud se retinere mysteria. oris intemperantia publicat. et cū arbitratus se ab aliq nō intueri pfmōes denudat. Suauitas em̄ detractionis. odio eam repletā esse demonstrat. Ne ergo decipiat quisq; putans se eē aliquid p religionē. qđ videt extrinsecus. Si em̄ putauerit quis fallere fratrem suū. religionem simulās. semetipm fallit ac decipit. Ecce em̄ ex cōuersatione ipsius. falsa ei⁹ religio demonstrat. Si aut cupis cogitationēs cordis eius addiscere. accede ad os eius. et discē ab eo. vtrū de terrenis. an de celestibus cogitet. de spūalibus. an de carnalib⁹. de voluptatibus. an de continētia. de affluentia possidēdi. an de voluntaria pauprate. de humilitate an de elatione arrogantie. de charitate. an d odio. Ex thesauro em̄ cordis. cōsuevit em̄ os cibos pferre his. que ad se accesserūt. Ex meditatione quoq; lingue et cōuersatione hoīs. quid cor desideret. vtrū christū aut pns seculum cōprobat. Et inuisibilis anima qualis sit siue bona siue mala. pactus corporis sui cōspicitur. Que quidē naturaliter bona est. sed subintrante malicia. p liberū arbitriū cōmutat.

Ca. v. Excludens errorem. ne quis putet passiōes supradictas esse naturales. ostēdensq; ex compactione libere voluntatis ad Agricolam. quō circa hmoi passionēs. voluntas inserat aliqñ virtutes optimas. aliqñ consuetudines pessimas. quō etiā diuinas scripturas habeat pro consiliatoribus. quos si deserendo oberrauerit. et penitens ad legislatorē recurrerit. cū pietate suscipiat.

Nec quisquā naturalēs asserat passiōes. ne qui cūq; asseruerit. culpatus existat. Attendete ipm. ne bonā conductionē. boni dei. ad crimen deducas. fecit em̄ deus omnia bona valde naturā quoq; nostrā bonis operibus decorauit. Si quis aut fm naturā eluriet. nō inculat. si in mensurā sumpserit cibū.

si aut edens mensurā excesserit / denotatur. Naturalem namq̃ esuriem quis nesciat. Nihilominus si fm naturā quispiā sitiāt. nō erit in culpa / si potū ad mensurā pceperit. si vero modū in bibendo excesserit. debonestat̃: q̃a naturalis est sitis. Rursum si fm naturā q̃s dormiat / nō inculat̃ / sed ad mensurā dormiat. si vero supra naturā somno indullerit / aut eneruatū semetipm̃ sopori atq̃ iercie tradat prodit natura ppria q̃s somni consuetudine supat̃. Natura siquidē et consuetudo. vtrāq̃ ptiū pdicatores existunt. Natura quippe indicat seruitutē. cōsuetudo aut̃ significat voluntatē. Ex vtroq̃ em̃ homo consistit. Voluntas aut̃ cū liberaz habeat facultatē. quasi quidam agricola esse videtur. Inserit namq̃ in hominis natura quēadmodū voluerit. alis qñ quidē virtutes optimas. aliqñ vō consuetudines pessimas. Hoc aut̃ modo consuetudines inserit malas. In esurie qdē. gule libidinem. In siti aut̃ bibendi copā. In sopore vō eneruationē / et insatiabilem somnū. In obtutibus vero oculorū / pessimos et volatiles sensus. in veritate mendacium. Inserit aut̃ rursum virtutes optimas. In cibo quidē abstinentiam. In siti aut̃ tolerantiam. In somno vigilias. In mendacio veritatē. In oculorū obtutibus / castitatem. Voluntas siquidē nostra cum sit forma agricolae / in momēto oculi euellit consuetudines malas. et quēadmodum voluerit virtutes inserit bonas. eo q̃ ipam naturam possit supare ac vincere. Et quidem natura est / p quā opationes gignunt̃. Agricole aut̃ hui⁹ volūtatis sunt diuine scripture cōsiliatores ac magistri. docēt namq̃ agricolam nostrū / quali modo psuerudines malas euellat. et quō virtutes bonas inserat / studiumq̃ adhibeat. Clerū q̃tū velit sobrius agricola noster et industrius extiterit. absq̃ magisterio diuinarum scripturarū / sine viribus est et indoctus. Diuinarū aut̃ scripturarū instructio / intellectū ei retribuit ac virtutem. ita vt ex ramis pprijs / optime ei largiant̃ virtutes cum eas in ligno nature inseruerit. Ita vt fidem bonam / in suam pfidiam inserat. spem quoq̃ in desperationem suam / dilectionē vero / in odium. et scientiam suam. rursumq̃ in laudem / in ignobilitatem suam. rursumq̃ inserit immortalitatem in mortem suam. Si autem voluerit noster agricola. pertinacia propria consiliatorem suum ac magistrum / dele-

rere. Diuinarum quoq̃ scripturarum eloq̃a inuenitur aduersis an fractibus oberrare. et in cogitationibus malis incedere / consuetudines quoq̃ pessimas que extra naturā sunt congregare. atq̃ in suam naturam inserere. id est. perfidiam. desperationem. odium. inuidiam. superbiam. inanem gloriā. gule libidinem. nimietatē bibendi. contradictionem contentionem. et cetera nō nulla hmoi. derelinquens namq̃ legis latozem. et ipse ab eo nihilominus derelinquit̃. Si autēz denuo penitentia ductus / semetipsum agnouerit: ita vt legislatori suppliciter procidat et dicat peccauit quod te dominū meum et magistrum dereliquerim: protinus legislator / cum sit amator hominum / pro sua pietate suscipiet eum. et prestabit ei intellectum bonum et virtutem vt rursum nature sue terram valeat operari. euellere quoq̃ ex ea cōsuetudines pessimas deinde largietur ei vt virtutes bonas et optimas / pro his possit inserere. pro quibus valeat coronam sibi ac laudem acquirere. Et q̃dem esurit fm naturam. sed ad continentiaz studet. sitit nihilominus. sed sustinet patienter. desiderijs stimulat̃. sed sobrietatem exerceat. grauatur somno. sed vigilare contēdit ad glorificationem dei. pigritia quoq̃ torpescit / sed aperto ore personat in diuinis laudibus / quo pigritiam possit vincere. Itaq̃ in tali certamine. laudem pmerebitur et coronā. Coronam quidem quia superauit naturam. laudem vero quod sibi virtutes acquiserit. bonas.

Ca. VI. **O**ccasione pretactorum gratias agens. comendansq̃ diuinam clementiā. benignitatem et misericordiam. cum commemoratione plurimorum dei beneficiorum. vt ad eius dilectionem nos prouocet.

Gloria itaq̃ nūc clementie eius et confessio benignitatis eius. quando ita misericors per hennis existit. Quis pater. suos sic diligit filios. Luncta nobis bona impartiens affluenter. et omnia nobis dispensans pulcherrime. Sanat vulnera anime nostre. et contempta nobis. longanimit̃ suffert. Tult enim saluos nos omnes fieri / omnes cupit sana-

Capitulum

re/ et oēs vult regni sui fieri possessores. vult
etiā vt voluntatis nre arbitrio cōteram⁹ oīs
languoris nostri duriciā. et qdē difficile ad sa-
nandū: ipse sanitatē impartit. **D**ñe aut qd fa-
cile recipit sanitatē: h vult vt ppria industria
ac voluntate curem⁹. vt a volūtate ei⁹ gloriā
mercatur. **E**t qdē pigrū si insperet vulne-
ratur/ idcirco medelā sanitatis imponit: vt
os ei⁹ ad glorificationē bonitatis sue aperiat
Pctōi quoq; pctā dimittit: vt erigat eum/ et
alacrē faciat. **I**nfirmiorē si viderit/ velot⁹ ex-
audir: neq; pusillaminis fiat. **L**ū aut patiens
aut longanimis ostiū ei⁹ pulsauerit: tā in colu-
mitatis quā etiā mercedis p̄mia adipiscit⁹: p
eo quod nō defecerit postulādo. **P**oterat em
nō petētibz nobis vulnera aīe nre sanare: et
ad bonitatē inuitos nos adducere. s; h facere
nō vult: ne volūtas nostra diuinā laudib⁹ de-
fraudet. **E**t quidē nos negligim⁹ q̄rere eum
et cūctamur inuocare eū: ipse aut nos diligit. et
ipse miseret⁹. **I**pse nos redemit: et ipse suscepit.
Ipse illuminat oculos mentis nre: et ipse nobis
compunctionis sue grām p̄bet/ et dilectionis
vt crucis ei⁹ suauitatē/ ac dulcedinē gustātes
indefinēter eū ac iugiter desiderem⁹/ et p̄qui-
ramus. **B**ūs ille q̄ cū gustauerit dilectionē
eius/ et desiderauerit eū: p̄parabit semetip̄m
vt charitate eius inenarrabili repleat⁹. **Q**ui
aut repletus fuerit charitate ei⁹/ aliā dilectio-
nem nō recipit in semetip̄o. **C**harissimi
q̄s nō talē diligat dñm: **Q**uis nō bonitatē ei⁹
adorando cōfiteat⁹ ac p̄dicet⁹. **Q**ualē x̄o excu-
sationē habebim⁹ in die iudicij/ si tantā negle-
xerimus salutē. **Q**uid dicem⁹/ qz nō audiui-
mus/ nō cognouim⁹. **Q**uid facere debuit qd
nō fecit nob⁹. **N**ōne ex imensa altitudine et be-
nedictio sinu patris/ vsq; ad nos se humiliā-
do descendit. **N**ōne cū inuisibilis existeret/ no-
bis se p̄buit ad videndū. **E**t cū esset ignis im-
mortalis/ nōne p̄pter nos incarnat⁹ ē. **N**on-
ne vt nobis libertatē tribueret/ palmis in sa-
ciem x̄beratus ē. **A**dmirandū et plenū ti-
moris/ ac tremoris negociuz. **A**dā⁹ lutea q̄
ex limo terre formata fuerat/ alapis pcussit
atq; infelices. cū simus imortales et terre ci-
nis/ vsq; ad sermonē inuicē ferre nō possum⁹.
Ille cū esset immortalis/ nōne vt nos viuifica-
ret/ ptulit mortē. **N**ōne sepultus ē/ vt nos se-
cum resuscitaret. **N**onne ex vinculis inimici
nos absoluit/ et alligans eū/ ad cōculcandū

cum nobis tribuit potestātē. **I**nuocauim⁹ eū
aliqui/ et nō exaudiuit nos. **P**ulsauim⁹ ad ia-
nuam eius. et nequaquā nobis apuit⁹. **N**ā et si ti-
bi morā fecerit ad audiendū/ h vtiq; tibi mul-
tiplicatā mercedem/ pro tarditate restituet.

Ca. VII. **A**criter increpās eorū ignau-
am qui huic seculo renunciauerūt/ et tñ carna-
lia et terrena requirūt/ multis eos cōmouēs
exhortans et terrens rationibus/ exemplis/
atq; piculis/ vt ad compunctionē et penitent-
iam incitentur.

In quo huic se-
culo renunciaſti chariſſime. **E**t
qd rursū requiem ſecularem re-
quires. **I**n tribulationē quippe vocatus es. et
tude refrigerio p̄cūctar⁹. **I**n nuditatē iuſſus
es ire/ et ecce veſtimentozū studiū adhibere
cōtendis. **I**n ſitim q̄s vocat⁹ es/ et aquā renu-
ens. vinū bibere delectar⁹. **A**d plū nihilomi-
nus inuitat⁹ es. et inermis ingredi cupis. **A**d
vigilias q̄s vocat⁹ es. et inercia ſomni reſolue-
ris. **A**d flendū et ad lamentandū vocatus es
et tu cū cachinno riſus effundis. **I**n charitatē
vocatus es. et tu odiū exerces in fratres. **I**n ſb-
iectionē vocat⁹ es et cōtradiciō. **H**eredem te
regni ſui vocauit/ et tu q̄ terrena ſunt ſapi-
as. **I**n māſuetudinē et humilitatē vocat⁹ es. et ſu-
perbus et elatus incedis. **E**t quid in die illa di-
cturus es cū a chriſto audies. qz humiliat⁹ ſū
p̄pter te/ aut egen⁹ effectus ſum. **S**z qz nu-
dus fui p̄pter te/ aut eſuriui aut ſitui/ et dile-
xi te in toto corde meo/ et proximum meum ſi-
cut meipſum. **N**e velis ignorare/ quia cogi-
tationes tue et ſermōes tui ſcripti ſunt/ et cōſi-
ſcientia tua que tecū opata ē/ arguit te ſi mē-
tiri volueris. **A**ut neſcis. quia om̄is creatu-
ra. cum metu nimio ac tremore tribunali ei⁹
aſſiſtit. **M**ilia miliū et dena milia angeloz
circūſtant. et tu mētiri te putas et dicere. qd p̄-
pter te hec vniuerſa ſuſtinui. cū nihil om̄ino
ptuleris. **E**lide ne duplicē vltionē p̄ſoluas.
maloz vicz actū ac falſitatis. **S**z ſurge et
expgilcere a ſomno. et cogitationes tuas ad-
aperi. intra temetip̄m. et p̄ſpice. qz iā claudis
dies. **S**ed et iam hoc frater intellige. qz fra-
tres n̄i q̄ beſterno nobiſcū pariter loq̄bant⁹
veſpe hodie nobiſcū nō ſunt. ſed ad dñm ſuū
ac noſtrum vocati perrexerunt. vt vnusquis-
q; eozum negociationis ſue queſtum oſtēdat

Ecce nunciam discede de hesterno atq; hodie-
 rno die. quō hestern⁹ qdē q̄si flos matutin⁹
 excessit. hodiern⁹ dō q̄i vmbra vesp̄ia trāsiet.
Contemplare etiā questū negociatiōis tue.
 si fecisti s̄m dñi imperiū. **E**t em̄ velocissimus
 cursus. dies nostri p̄tereūt. **B**eatus ergo q̄
 sibi questum p̄ singulos dies huiusmodi ne-
 gociationis acquirit. vt congregatū eū in vi-
 tam eternā p̄cipiat. **Q**uid aut̄ tu dilectissi-
 me negligis. et incuriosus existis? **Q**uid tāq;
 vino inebriaris accidia? **Q**uid exacerbas te-
 metipm̄. māsiōi nāq; i hoc mūdo facta ē. quē-
 admodum quidā duo viātes. in itinere sibi in-
 uicem occurrentes in suū singulip̄gentes ho-
 spitū. vesp̄e aut̄ facto mansit vnusquisq; qua-
 potuit puenire. et facto diluculo ab inuicē dis-
 cesserunt. **I**ntellexit nāq; vnusquisq; eorum
 quid habeat in domo p̄pria. diuicias an pau-
 pertatem. requiē an tribulationem. ita et nos
 in hoc seculo sumus. **M**ansioni nāq; assimila-
 tur hec vita. **E**x ipsa em̄ vnusquisq; in suo di-
 uiditur loco. et intelligit quid habuit an̄ recō-
 ditum. **N**eq; em̄ vnusquisq; nostrū ignorat
 quid premisit in celis. orationem cum lachry-
 mis. an cū puritate vigilias. an psalmodiam
 cū compunctione cordis. aut abstinentiā cū
 humilitate. an terrenorū renūciationem. an
 charitatem non fictam. et desiderii christi. **S**i
 hoc tu p̄misisti. scito te incunctanter ad requi-
 em pergere. **S**i vero nihil horum premisisti.
 p̄didisti fili charissime animā tuā. **Q**uid i hac
 mansione exasperas primū tuū? **H**ane em̄
 ab eo sepandus es. **Q**uid aut̄ sup̄bis aut in-
 solescis? **Q**uid aduersus primū tuū tristis
 ambulas. cui⁹ on⁹ portare debueras. **Q**uid
 aut̄ te sollicitudo escarū aut opimentorū ma-
 cerat? **Q**uid ar iumentis escam ipsorū. te nō
 nutriet? **Q**ui eū diurne glorificas. qui expe-
 ctas heres fieri regni eius. de esca et opimen-
 to conuerteris. **Q**ui mortificasti temetipm̄
 mūdo. que terrena sunt sapis? **Q**uid temet-
 ipsum fallis ac decipis? **Q**uid medicū exaspe-
 ras nolens sanitatē recipe. et tpe curationis
 vulnera tua occultas. et medicū i culas. quod
 nō sis consecutus incolumitatis remedium?
Tempus tibi penitentie datū est. et agere pe-
 nitentiam negligis? **Q**uid ergo in culas legis-
 latoz. quod mortē tibi induxerit. cū tu incuri-
 osus existis? **N**ūquid dices mortē in illa ho-
 ra necessitatis. sine me penitentiam agere.
Eligila dilectissime vigila. vt laqueus sup̄ te
 hora illa nō adueniat. et tunc obstupescas et

ad conscientiam tuā recurras et dicas. **Q**uō
 elata ceruice ambulāte me. oēs dies mei trās-
 acti sunt? **Q**uō tempus meū in cogitationi-
 bus terrenis sup̄fluo p̄terijt? **Q**ue erit vtili-
 tas. si hoc reputas quādo hora mortis instite-
 rit. nec concedit nobis in hoc seculo amplius
 cōuersari. **P**one itaq; mētē tuā ad hec que
 narrant. **I**ntroecant in aures tuas. que a dño
 dicta sunt. **C**rede eius sermonibus. **A**it enī
 quia et de ocioſo verbo reddituri sumus ratio-
 nem. in illa die iudicij. **S**ufficit autē nobis ad
 metum solus hic sermo. si conscientia nostra
 sobria fuerit. **S**i aut̄ quadā leuitate per diuer-
 sa animus puagatur. neq; ipsa que sunt scri-
 pta intelligit. neq; ea que dicuntur auscultat
 com p̄at h̄mōi fistule recipienti aquā. et nō sci-
 enti quō eam p̄trāsīt. **Q**uis ergo putas nō
 defleat. quia dñs oibis terre tam per se quā
 etiam per p̄ueros suos p̄phetas et apostolos
 clamat et p̄dicat. et qui audiat nō ē? **Q**ue sunt
 aut̄ que p̄dicant ab eis? **I**mpie parate sunt
 inquit. et altitia mea imolata sunt. **S**pon-
 sus cum claritate et magnificētia in thalamo
 residet. et cū gaudio intrantes recipit. ianue
 patent. ministri festinant. **P**redicatores con-
 uolāt. **P**riusq; ianue claudant̄ velocitate pe-
 dum concurrite. ne nobis foris remanere cō-
 tingat. et q̄ nos introducat. vlt̄ius non erit.
Sup̄ his aut̄ nō est qui intelligat. nō est qui
 studiū adhibeat. signauiā et cura seculi hui⁹.
 mentē nostrā quasi cathena colligat et p̄strin-
 git. **D**iuinas quidē scripturas recte scribim⁹
 et recte p̄legimus. recte aut̄ eas audire nolu-
 mus. quia que illic inserta sunt. p̄ficere recu-
 samus. **Q**uis putas aliqui p̄gre in longin-
 quā viam. sine viatico p̄fectus est. quēadmo-
 dum nos profici sci volumus. **P**ica aut̄ alimen-
 ta req̄rentes. nihil ad p̄fectionē nostrā p̄fe-
 rimus. **B**eatus qui cū fiducia pergit ad t̄m
 portans sine defectione viaticum. vt nullam
 penuriam patiat̄. **E**cce decem virgines
 lampades accip̄t̄. et serui negociant̄. ex-
 pectantes dominum suum. cognoscētes qd
 accepit regnum suum. et venit cum claritate
 et virtute multa. coronare seruos suos. qui ac-
 cipientes ab eo pecuniam. optime in ea mer-
 cati sunt. interficere autem inimicos suos q̄
 regnare eum super se noluerunt. quēadmo-
 dum si media nocte profundo sopore. natura
 hominum occupata. repente de celo sonus ef-
 ficiat̄ magn⁹. et tonitrua terribilia. et corusca-
 tiōes. ex p̄cepti s̄bito dormiētes. colat vn⁹ q̄sq;

que sua sunt / siue bona siue mala: qui autē mala gesserunt / iacentes suplectum suum pcu-
tiunt pectora sua / quia nō est quōq; fugere &
abscondere. vel sup his que gesserunt penitē-
tiam agere. Cetera em̄ quassat & tonitrua ti-
more concutiant / fulgura pauorē cōmouent
Tunc obtinebit eos pfunda obscuritas. ita
vt hora illa / fulgur velox repente totam com-
moueat terram. Tūbe em̄ cum timore de ce-
lo buccinant / & suscitant dormientes / excitāt
quoq; eos qui a seculo dormierūt. Celi em̄ cū
suis struibus cōmouebunt. & terra vniuersa
quasi aqua maris / a facie glorie eius contre-
miscet. Ignis siquidēz terribilis discurret an-
faciem eius. emundans eam ab iniquitatib;
qbus fuerat contaminata. Infernus portas
suas q̄ a seculo sunt patefaciet / mors destrue-
tur / puluis qui putruerat. id est humana ca-
ro / audiēs vocē tube viuificabit. Clere em̄
miraculum ē intueri / quō contra ictum oculi
in infernū. quasi multitudo piscium in mare
enutrita ita & innumerabilis copiosaq; ossiū
multitudo humane nature. vnū quodq; eorū
currēt / ppiam iuncturā inquirens. surgen-
tes quoq; clamabunt omēs & dicēt. Glo-
ria ei qui nos congregauit / & ppter suam cle-
mentiam resurgere fecit. Tunc iusti exulta-
bunt / & sancti letabunt. & veri & pfecti mona-
chi cōsolabunt. & a labore abstinentie sue re-
quiescent / martyres coronabunt. apli ac p-
phete glorificabunt. Beatus qui pmeruerit
in hora illa videre / quō cū gloria accipientur
in nubibus / obuiā īmortali sponso. omēs qui
dilexerunt eū / & festinauerūt pficere oēs vo-
luntates eius. vt em̄ vnusquisq; hic / ad excel-
sa puolat premiorū. & quēadmodū hic vnus-
quisq; se emūdauit / sic eius gloriā intuebit
& quō quisq; desiderauit eum. sic satiabit dile-
ctione eius. Admirabit etiam primus adā
in hora illa videns magna & terribilia / quō ex
eo solo & cōiuge eius / ī mēse nationes & mul-
titudines producte sunt. Papis autē amī-
rabit glorificans conditorē deū / quō ab vna
natura / & ex vna creatura exort / in regno ce-
lorum & in paradiso / & in inferno. sortem pro
suis meritis suscepit. Gloria soli sapiēti deo.

Ca. VIII. Inducens ex superiorum re-
cordatione compunctionem & querelam au-
ctoris miseriam suam confitentis ac miseri-
cordiam dei / fratruq; suorum preces implo-
rantis. sollicitudinē quoq; carnalem disuadē

tis & ad negotiationem spiritālē atq; vite. et
negociorum suorum rationem per singulos
dies faciendam / exhortantis.

Ostrissimi recor-
datus sum hore illius & intremui.
consideraui illud horrendum iu-
diciū / & expaui. Leticiam quoq; que est in
paradiso / & ingemiscens fleui / vsq; q̄ nō remā-
serit in me vtus vt amplius flerem / quia ne-
gligentia & elatione p̄terii dies meos. & co-
gitationibus sordidis / anni mei finiti sunt.
Quō elapsi sunt / nō consideraui / quō transi-
erunt / sentire nō potui. Dies mei defecerūt.
& iniquitates mee multiplicatae sunt. Heu mi-
hi charissimi quid faciam in compunctiōe ho-
re illius / qñ mihi noti mei circūsteterint / qui
me beatificabant / hui⁹ religionis habitum cō-
templantes. ab intus autē vas plenū erā iniq-
tate & imundicia. & eum qui scrutat corda et
renes obliuioni tradideram. Clere pfusio ibi
est / etiam miserabilis qui illā cōfusionem ex-
ceperit. Amator hominū benignissime / ad-
iuuro te per miserationes tuas / ne mea sinistris
tuis statuas. cum his qui te exacerbauerunt
ne dicas mihi nescio te / sed tribue mihi pro-
pter multā miscēiam tuā indefinenter com-
punctionem & fletum. & humilia cor meum et
sanctifica / vt fiam templum gratie tue. Nam
& si peccator sum & impie gessi / tamen ad ianu-
am tuam iugiter pulso. Et si piger sum et in-
curiosus / attē viam tuam incedo. Fratres
mei dilectissimi obsecro vnanimitatē vestraz
festinate placere deo. Dum tempus habebi-
tis plorate in conspectu eius diebus ac nocti-
bus / cū oratis & psallitis / vt eruat nos ab illo
interminabili fletu / & stridore dentiū. & a ge-
henne igne / & a vermibus īmortaliū / vt in
regno suo gaudere nos faciat / in vita illa im-
mortali. vbi fugat dolor / tristitia / & gemitus.
vbi nec lachrymis aliquis. nec penitentia in-
diger. vbi nō ē timor & tremor. vbi nō ē mors
& corruptio. vbi nō ē aduersarius & īpugnās.
vbi nō est exacerbatio & ira. vbi nō est odium
& inimicitia. sed omīno gaudium & leticia & ex-
ultatio. & mensa spiritualib⁹ cibis plena / q̄ p-
parauit deus diligētib⁹ se. & beatus q̄ pme-
ruerit eam / infelix autē qui fuerit priuatus ab
ea. Obsecro vos fratres charissimi effundi
te sup me viscera vestra. & precamini pro me
pidentes benigno & amatori hominū vnige

nito filio dei. vt faciat mecum misciam: et liberet me a multitudine iniquitatum mearum: et collocet me inter macerias beati paradisi. vt vobis hereditas ei? / vicinus efficiar. eo quod vos estis charissimi filij. ego vero quasi canis abiectus: vt proijciatis super me micam de mensa vestra vt impleat in me quod scriptum est. quasi catuli edunt de mensa filiorum. Ita dilectissimi mihi effundite super me orationes vestras. et venite festinemus ad vitam nostram. Omnia enim quasi vmbra pretereunt

Quidam etiam mundum hunc. et omnia que in eo sunt. sollicitudinem quasi carnalem preter salutem anime nostre nullam habeamus: sicut et dominus noster ait.

Quidem perficit homini si mundum lucratus fuerit vniuersum: a se autem sue detrimentum patiat.

Aut quam dabit homo redemptionem patrie sue? Negociatores sumus? spirituales o dilectissimi comparati sumus? negotiatoribus? sectariis? Considerate que dico fratres. Secularis negotiator per singulos dies lucrum seu dispendium supputat: et si detrimentum sustinere se intelligit: festinat ac sollicitudinem adhibet et commodat. quomodo mercimonium suum saluum restituat.

Ita et tu dilectissime per singulos dies: vespere et mane. diligenter considera: qualis se habeat mercimonij tui ro. Et ad vespam ingredi in cor tuum. et scrutare te ipsum: et dicito. Putasne in aliquo acerbaui deum? Ne vbi otiosum locutus sum? Ne immoderate egi? Ne irritaui fratrem meum? Ne aliquem detractationibus laceravi? Ne forte psallente me: cor meum et mens mea fantasias seculi cogitauit? Ne forte concupiscentia carnalis super me irruit: et ego liberi animo suscepti: ne sollicitudinibus terrenis super sum? Si in omnibus his damnum tibi illatum intelligis: festina quomodo melioribus commodis repareris. Ingemisce ex intimo corde: profer ab oculis lachrymas: ne idem rursus detrimentum sustineas. Et facto diluculo iterum eadem meditare et dicito. Quomodo putas nox ista transijt. Lucratus ne sum in ea mercimonium meum. Putas mens mea vna cum corpore vigilauit? Si oculi mei lachrymas perduxerunt? Ne cum genua in oratione per noctem posui: in sopore somni deductus sum? Nec adueniunt mihi sordide cogitationes: et libenter eas meditatus sum? Et si te deceptum in his senseris: festina sanitatem recipe. et statue custodiam in corde tuo: ne rursus eadem patiaris. Si ita sollicitudinem habueris: saluabis mercimonium tuum: et domino tuo placebis. et tibi metipsum utilis eris. Attende autem tibi: nec te velis se-

gnitie ac negligentie tradere. Principium

quidem perditionis / est negligentia. Imitare autem apem: et perspice admirabile mysterium: quomodo ex diuersis floribus terre. suam operationem congregat. In hoc ergo exiguo animante considerate. Si enim congregati fuerint sapientes mundi. atque orbis terre philosophi. non valebunt prudentiam eius differere. quomodo ex floribus quidem. quasi quedam monumenta edificat. Semper autem ibi soboles suas: et cum viuificauerit eas. quasi quidam princeps: milicie vocem suam ad eas emittit. quam pariter audiunt: volitare incipiunt. Tunc monumenta illa vnde egressi sunt soboles: operantur: ac replere festinate scarum dulcedine: ita vti omnis prudens si considerat: glorificet conditorem deum / admirans quod ex tam puo ac vilissimo animante tanta sapientia processerit. Similiter ergo et tu charissime congrega tibi diuitias et thesaurum quem sur nunc quasi continget et premitte in celum. Nam et princeps terre. si voluerit quisque eorum in regionem abire longinquam: premitunt famulos suos cum patrimonio suo: vt cum in preparam mansionem peruenierint: ibi diuerant. Ita et dilectissime premitte patrimonium tuum in celis: vt suscipiaris in tabernaculis sanctorum.

Ca. IX. Exhortans vt tribulationes mundi patienter tolerant / et ne spes in temporalibus sed in dei amatores hominum benignitate ponatur: qui cuncta bona largitur et laborantes mercede non fraudas: per hoc puocans nos ad vigilantiam vt adueniente sponso et alijs in regnum susceptis. nos excludamur et postea negligentiam nostram frustra defleamus. docens quod quomodo dominum inuocare debeamus et perfectos viros imitari: corpus ad carnalia non assuescere: discretionem nihilominus circa eius castigationem obsequare. amonens tandem vniquemque ita debere incipere: vt possit perficere inceptum.

De velis ergo te

In poris breuitatem negligere: ne per secula infinita penitentiam incipias. Non audis dominum dicentem. In hoc mundo tribulationem habebitis. Iterum ait: in patientia vestra possidebitis animas vestras. Si autem tu propter molliem mentem atque icuriam in tribulationibus huius mundi odium habeas. deuitas quidem patientiam. carnalem quidem voluptatem consideras quod iugum christi bonum ac suauem propter tuam ignauiam quod durum et graue. et quod non facile possit portari detrahis et iculas. et te ipsum in perditionem tradis: cum ista carnis: quod tui miserebitur: si te ipsum in infernas: quod tui miserebitur. si assumens arma domini: quibus dimicare

Capitulum

